PSALMVS CXVIII.

A

ARGVMENTVM PSALMI.

PSalmus hic planè panegyricus est. Apparet eum tùm esse compositum à Dauide, & cantoribus populo præcinendum traditum, cùm posteaquam ab vniuerso Israële in regem inunctus esset, ac Philistæos, regni ipsius primordia subuertere molitos, grauiter percussisset: arcam Dei primùm in tabernaculũ, à se Hierosolymis constructum, conuocatis Israelis maioribus, & sanctificatis Leuitis, panegyri celeberrima deportaret. quam historiam legere licet 2. Sam. 6. & 1. Paralip. 15. & 16.

Est autẽ sic compositus hic Psalmus, vt quædam illius Dauidis verba habeant, quibus Israelis populum, domum Aaronis, ac timentes Dei, ad laudandum bonitatem ac benignitatem Dei hortatur: ac simul de se, quantis beneficijs à Domino affectus sit, animo grato prædicat. Quædam verò sacerdotũ, ac populi applausum, quo regem exceperunt, & cœlestem opem regno illius apprecati sunt, aliquot versibus contineant.

VERS. 1. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculũ benignitas eius.*

2. *Dicat nunc Israël, quoniam in seculum benignitas eius.*

3. *Dicant nunc domus Aaron, quoniam in seculum benignitas eius.*

4. *Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in seculum benignitas eius.*

Horum quatuor versuum lectio nihil habet varietatis.

EXPLANATIO. *Confitemini Domino.*] Est hęc paræneſis Prophetę ac pientissimi regis ad Ecclesiam Israëlis ad hoc facta, vt ex re præsenti quam dubio procul homines sensati, non sine grandi admiratione, singulari consilio Dei geri cernebant, animos populi ad considerationem diuinæ bonitatis, adeoque & laudis sacrificium excitaret. Primùm sine vllius appellatione ad laudandum Dominum hortatur, dicens: *Cõfitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum benignitas eius.* Deinde nominatim *Israelem* appellat, ac mox specialiter *domum Aheronis*: tertiò *timentes Dei*, exigens ab illis, vt succinant, ac dicant: *Quoniam in seculum benignitas eius.* id quod ad eum modum in panegyri illa factum esse crediderim, vt tertiò succlamatũ sit hisce verbis. *Quoniam in seculum benignitas eius:* primùm à maioribus populi, qui aderant: deinde ab ordine sacerdotali: id est, Leuitis, ad domum Aheronis pertinentibus: tertio à reliquis timentibus Dei, qui ex plebe conuenerant. Hanc confessionem diuinæ benignitatis ad hoc publicè ac tertiò proferri voluit, vt quotquot adstabant, nõ solùm auditores essent eorum quæ hoc Psalmo canebantur, sed & astipulatores & confessores.

OBSER. *Confitemini Domino.*] Quæ de hoc versu notanda sint, dictum est suprà, Psal. 106. B

Dicat nunc Israel.] De eo, quòd Israëlem, *domum Aaronis*, ac *timentes Dei* appellat, dictum est suprà, Psalm. 115. vers. 9. 10. & 11. Quod præsentem locum concernit, in eo quòd ordines adstantes, & plebs quoque timens Dei, ad succinendum prouocantur, vt & ipsi assentientes, adstipulantes, ac concinentes, bonitatẽ Dei laudibus extollant: admonemur de ritu Ecclesiastico, quo in Ecclesijs non solùm veteris, sed & noui Testamenti publica diuinæ bonitatis laus & confessio cõmuni Seruatori offerebatur ab omnibus: & quæ canebantur, lingua vulgo intelligibili canebantur: quo animi saltem præsentium, si id ore fieri non posset, concinerent. Hunc morem priscę Ecclesiæ propter desuetudinem nonnulli, qui tamen Ecclesiastici videri volunt, haud aliter damnant, quàm si noua quadam temeritate sacrificium laudis in Ecclesia ad homines prophanos transferretur. Illud tamẽ iuxta est obseruandum, quòd hîc quoque timorem Dei requirit Propheta perinde atque suprà Psalm. 115. cùm Israëlem ac domum Aheronis adhortaretur, vt spem collocarent in Dominum. Sine timore Dei frustrà speratur in Dominum: sine timore Dei malè psallitur, imò laus Dei magis conspurcatur, quàm ornatur.

5. *Ex angustia inuocaui Dominum: respondit mihi in latitudine Dominus.*

6. *Dominus pro me, non timebo: quid faciet mihi homo?*

7. *Dominus pro me, inter eos qui me iuuant: & ego videbo in illis qui me oderunt.*

8. *Bonum est sperare in Dominum, magis quàm sperare in hominem.*

9. *Bonum est sperare in Dominum, magis quàm sperare in principes.*

LECTIO. Vers. 7. *Et ego videbo in illis qui me oderunt.*] Ebr. ראני אראה בשנאי Græc. & vulgat. Lat. *Et ego despiciam inimicos meos.* Consimiliter & Hieron. & Iustin. & Felix. Pagnin. *Et ego videbo, quod opto odio habentibus me.* Sic & Camp. Chald. *Et ego videbo vltionem in ijs qui me oderunt.* Consimilem loquutionem & suprà Psal. 59 vers. 10. & Psal. 112. vers. 8. habuimus.

EXPLANATIO. Vers. 5. Iam consequenter incipit Propheta bonitatem Dei in illis celebrare, quæ sibi contigerant. Et primùm in genere dicit: *Ex angustia inuocaui Dominum, & respondit mihi:* hoc est, Fui in magnis periculis, tribulationibus & angustijs, omnium mortalium auxilio destitutus. Inuocaui Dominum, & opem illius obnixè imploraui. Ille me non contempsit miserum & adflictum, sed inuocanti respondit & opem tulit: idque effecit, vt ex angustijs liberatus, in latitudinem peruenerim. Per *latitudinem* intelligit securitatem.

Vers. 7. *Dominus pro me.*] Quatuor sequentibus versibus subiungit, quam fiduciam ex eo conceperit erga Dominum, quod se ex angustijs liberauit & in latitudinem eduxit. Primùm id sibi persuasit, esse Dominum pro se: hoc est, esse sibi adiutorem, tueri ac defendere causam suam. De eo confidenter gloriatur: fuerat enim id sæpenumerò re ipsa expertus. Vnde & hanc gloriationem ingeminat, ad exprimendam illius certitudinem.

Deinde